

Auf der Rückseite ist bemerkt: Anno domini millesimo quadringentesimo quadragesimo tertio die octava mensis Februarii in parva stubella domini rectoris almae universitatis studii Lipzensis in mei Frederici Radeloff notarii publici et domini Vlrici Molitoris clerici Merseburgensis diocesis et Johannis Teskes servitoris reverendi patris domini praepositi canonicorum regularium sancti Thomae Lipzensis testium ad hoc solemniter adhibitorum et requisitorum praesentia honorabilis vir dominus Petrus Schusen artium magister decretorumque baccalarius syndicus et syndicatus nomine dicti domini praepositi ac canonicorum suprascriptorum et plebanus sancti Nicolai Lipzensis sibi adiunctus meliori modo quo debuerunt et potuerunt executi sunt praesens mandatum in praesentia dicti domini rectoris studii Lipzensis ipsis sacrae theologiae professoribus ibi praesentibus, quod protestor manu mea propria.

No. 218. 1443. 13. Febr.

*B. Johann von Merseburg bestätigt die Stiftung einer an jedem Freitage mit besondern Feierlichkeiten in der Thomaskirche abzuhaltenden Messe zum Gedächtniss des Leidens und Kreuzestodes Christi und verleiht den Andächtigen Ablass.*

Johannes dei et apostolicae sedis gratia episcopus ecclesiae Merßburgensis universis et singulis Christi fidelibus per civitatem et diocesim nostras ubilibet constitutis salutem in domino sempiternam. Exposuit nobis venerabilis dominus Burcardus de Kempnietz praepositus priorque et conventus sive capitulum monasterii sancti Thomae apostoli Lipzensis — devoti nostri dilecti, quod honorabilis magister Henricus Steinbach et quaedam aliae devotae personae zelo devotionis accensi perpetuis temporibus memoriam passionis dominicae in monasterio praedicto sancti Thomae Lipzensis singulis sextis feriis per totum circulum anni cum responsorio, quod incipit Tenebrae factae sunt &c. et cantari solet in bona sexta feria passionis domini, cum compulsu campanarum sollempni dicti monasterii ac versiculo et collecta de passione dominica, prout in diversis locis extra nostram diocesim consuetum est fieri, fundarunt et instituerunt memoratisque dominis praeposito, priori et conventui quinquaginta florenos Renenses boni auri et iusti ponderis ad huiusmodi memoriam passionis domini perpetuis temporibus disponendam ordinandam et tenendam pro cantantibus et campanas pulsantibus in prompta et parata pecunia florenorum praedictorum persolventes, residuumque, quod de ipsis quinquaginta florenis exerescere poterit, apud ipsius monasterii fabricam manebit, nobisque tam dicti domini praepositus, prior et conventus quam memoratus magister Henricus pie supplicarunt, quatenus ad honorem omnipotentis dei ac passionis domini nostri Jhesu Christi, qui suo proprio sanguine nos et singulos Christi fideles ab aeterna dampnatione misericorditer liberavit, huiusmodi memoriam et pium opus auctoritate nostra ordinaria confirmare et de thesauro militantis ecclesiae cum indulgentiis largius decorare dignaremur, ita ut quicumque in dominicae passionis memoriam quinque Pater noster et quinque Ave Maria sub compulsu singulis sextis feriis, statim benedictione summae missae sine fara in dicto monasterio sancti Thomae peracta, ubicumque fuerit et huiusmodi compulsu audierit, devote dixerit, indulgentias nostras ad hoc infra scriptas consequatur. Nos vero Johannes episcopus memoratus, considerantes devotionem dictorum exponentium